



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

46. Hadrianvs Iudex videns inter Caspium & Caspianum litigantes causam huius probabiliorem nihilominus pro illo malè fert sententiam ex eo, quod causam eiusdem salte[m] probabilem agnoscat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

fit. *Ad 4.* Negamus semper aliquid in stomachum trajici, quod enim dentibus teritur, mox iterum exspuitur: fumus ore exceptus per nares statim exit: quod per nares attrahitur, non necessariò in stomachum trajicitur; sed esto, aliqua etiam traiectione in stomachum fiat, ea tamen non fit eâ intentione & modo, ut inde homo morali iudicio comedisse aut potâsse censeretur, sicut rectè notat Lugo *loc. cit.*

XLVI. *Hadrianus Iudex inter partes litigantes Caspium & Caspianum aduertit causam huius probabiliorē, quàm illius: & tamen pro Caspio fert sententiam idē, quod causam huius saltem probabilem agnoscat. Queritur. An bene?*

Videtur bene pronuciâsse. Ita Medina, Salas, Sayrus, Dicastillo & alij, quos referunt & sequuntur Palao *Tr. 1. D. 2. pun. 10. n. 7. & Diana p. 2. tr. 13. resol. 3. & p. 9. tr. 8. resol. 42.* Mouentur. Tum quia eoipsò, quod opinio sit probabilis, est conformis rectæ rationi. Ergo tutâ conscientiam quis eam sequi circa causarum ciuiliū decisionem potest. Tum quia Confessarius tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta propriâ probabiliore. Ergo Iudex etiam in decidendis causis potest initi sententiæ probabilis, relicta probabiliore.

Resp. Hanc doctrinam satis quidem credibiliter tradi, probabilius tamen esse, Iudicem

rem non posse causam decidere ex sententiâ
probabili solùm, relictâ probabiliore, aded-
que malè fecisse Hadrianum. Ita Valent. Ban-
nez, Azor, Becanus, Filliuc. Malderus, San-
chez *l. 1. in Decal. c. 10. n. 7.* Layman *l. 1. Tr. 1.
c. 5. §. 3. n. 16.* Tanner *Tom. 3. D. 4. quest. 4. n. 28.*
& post plures alios Arriaga *Tom. 3. Theolog. D.
24. n. 27.* bene ostendens à *num. 37.* eandem
esse rationem Iudicis supremi, & inferioris;
inter quos nonnulli distinguunt. Ratio est.
Tum qui a Iudicis est, secundum iura senten-
tiam dicere. Ergo cui ipsa iura omnibus spe-
ctatis plus favere intelliguntur, etiâ ipse fave-
re debet. Tum quia officium Iudicis est, suum
partibus ius tribuere secundum merita causæ.
Ergo cum in proposito Caspianus, cuius cau-
sa est probabilior, plus præ Caspio mereatur,
& ille ius habeat ad rem, de qua agitur, Ha-
drianus Iudex Caspiano causam adiudicare
debet.

Ad 1. in oppositum distinguimus consequens,
& concedimus consequentiam ceteris pari-
bus: secus negamus; in proposito autem ob-
stat peculiaris ratio officij, quò minùs Iudex
tutò possit in causarum decisione sequi sen-
tentiam probabilem, quando pro altera parte
stat probabilior. *Ad 2.* Negamus conse-
quentiam, nam sicut sacrum tribunal in alijs
moleis recedit à profano, ita etiam in hoc,
quod illud cum solo reo agat, ei que, quan-

tum fieri potest, faueat: istud verò inter partes sententiam dicat, & secundum iura rigidè procedat; Vnde facilè apparet, aliam esse rationem Confessarij, aliam Iudicis.

XLVII. Hemmingus Parochus die 1. Novemb. post Vesperas ad Nobilem quendam in sua Parochia evocatus, vt altero die in arce celebraret, ita ibi colloquijs & recreationibus distrahitur, vt præter sacrum nihil penitus pro altero die (2. Novemb. quo etiam officium Defunctorum recitandū) culpabiliter oret. *Quæritur* 1. Vtrum peccet mortaliter, omittendo præcisè officium Defunctorum. 2. Si peccarit mortaliter, vtrum ex huius solū omissione teneatur ad aliquam restitutionem? 3. An duplex peccatum commiserit omittendo officiū & Octauæ omnium Sanctorum & Defunctorum?

Videtur Hemmingus mortaliter peccare omittendo præcisè officium Defunctorum. Ita Suarez Tom. 2. de Relig. L. 4. c. 25. n. 8. & 9. & plerique alij, è quibus 24 citat & sequitur Dian. P. 4. Tr. 4. Resol. 243. Tum quia officium Defunctorum tali die ponitur cum officio maiori, & præscribitur dicendum in Rubrica, vt officium proprium illius diei. Tum quia commemoratio Defunctorū in Martyrologio legitur per nomen Festiuitatis, de qua officium diu. legi debeat. Tum quia saltem ex consuetudine recepta omnes hodie officium Defunctorum ex obligatione recitant, cui consuetudini, si derogari potest,